

bas ibid. n. 17, h. t. recte notat, quod soluta pœna apposta in compromisso, non possit agi, ut stetur sententiæ. Et Engel h. t. n. 15. inquit, quod si pœna compromisso fuerit adjecta, tunc compromissum fiat conditionatum, seu alternativum; ut videlicet stetur compromisso, vel solvatur pœna, prout condemnatus elegerit.

89. *Nisi fuerit appositum juramentum.* — Additur notanter in conclusionem, « nisi fuerit appositum juramentum de servando arbitrio. » Quia tunc ejusmodi laudum, ratione appositi juramenti, servari debet, eo quod hujus observantia non vergat in æternæ salutis dispendium, neque in alterius præjudicium, c. *Quamvis*. 2. de *Pactis*, in 6; cum similibus; Glossa in c. *Non sine*. §. *Sacramentum*; et Abbas ibid.; n. 8. h. t., Molina tract. V. disp. 35. n. 20. Quamvis Innocentius in c. *Per tuas*, n. 3, et Layman ibid. n. 14. h. t. velint, quod si quis compromissum cum pœna violatori adjecta juramento confirmarit, satisfaciatur, si pœnam solvat; dummodo non fuerit intentio jurantis, sese obligandi specificè tam ad servandum arbitrium, quam ad solvendam pœnam, si id non servaverit; prout dictam suam sententiam limitat Layman cit. n. 14. Verum a priori sententia non videtur recedendum, tum ob rationem allatam: tum quia juramentum habet vim clausulæ, « Rato manente pacto; » ut notat Abbas in c. *Per tuas*, n. 14 h. t. post Baldum. Card. Tuschus, lit. C. concl. 300. n. 4; Barbosa clausul. 128. n. 3, cum aliis.

90. *Nisi fuerit appositum juramentum.* — Nec obstat, quod in cit. auth. *Decernit jus*. h. t. prohibeatur, fieri compromissum cum juramento; atque subjungatur, quod præstita pœna, « liceat a judicatis recedere. » Resp. enim inde solum sequi, quod ex tali juramento de jure civili de facto nulla detur actio: secus tamen dicendum de jure canonico. Siquidem in c. *Non sine*; et c. *Pervenit*. et c. *Cum tempore*; et c. *Per tuas*. h. t. intervenit juramentum in compromisso, nec tamen Papa illud reprobat, imo mandat, tale juramentum servari: nam ob reverentiam Numinis omne juramentum promissorium est servandum, quod sine peccato servari potest. Abbas cit. n. 8. et c. *Per tuas*, n. 13. h. t. Layman, ubi supra, n. 11; citans communem contra Bartolum in d. auth. *Decernit jus*.

91. *Aut nisi adjecta sit clausula: Rato manente pacto.* — Additur ulterius in data n. 88 conclusionem, « aut nisi adjecta sit clausula,

Rato manente pacto, » seu compromisso; ita videlicet, ut non obstante præstatione pœnæ, adhuc sententia arbitratorum rata maneat. Quia, ubi in compromisso dicta clausula fuit apposta, contraveniens non solum pœnam solvere, sed insuper sententiam arbitri observare compellitur. Tunc enim in effectu duplex compromissum intervenire censetur: unum pœnale, seu obligans ad præstationem pœnæ, si non servetur: alterum simplex, seu purum, vi cujus haud obstante solutione pœnæ, agi potest ad obtinendam observantiam, atque executionem laudi. Glossa. in c. *Dilecti*. §. *Per pœnam*, in fine; et Abbas ibid. n. 17; card. Tuschus lit. C. concl. 300, n. 2; Maranta in *Speculo aureo*, part. VI, § de *Appellatione*, n. 263. Barbosa, clausula 128, n. 5, et seqq.; Pirhing h. t. n. 69, et alii.

92. *Si plura capitula contineantur in compromisso, et laudo, violans unum an committat pœnam in solidum?* — Resp. III. Quod si plura capitula contineantur in compromisso, et laudo desuper pronuntiato, atque alterutra pars veniat contra unum dumtaxat capitulum; non idcirco committitur pœna in solidum, sed debetur pro parte correspondente tantum, Ita Speculator tit. de *Arbitro*. § *Sequitur*. n. 39, id limitans, nisi in compromisso expressum fuerit, quod etiam pro uno solo capitulo violato tota pœna committatur, ac debeatur. Alioquin enim, quot sunt capitula, tot sunt partialia compromissa; ut l. *Quod dicitur*. 86. ff. de *Verbor. obligat.*, ac proinde, sicut veniens contra omnia, committit pœnam in totum; ita veniens contra partem, pro parte dumtaxat pœnam committit.

93. *Intra tempus ab arbitro præfixum committitur pœna, si non detur id, quod jubetur.* — Quæritur III. Intra quantum tempus committatur pœna; si non detur id; quod arbitri dari jusserit? Resp. I. Quando ab arbitro certum tempus solutioni est præfixum, ut puta, quod fiat solutio intra calendas septembris currentis anni, tunc pœna committitur, si cessante legitimo impedimento intra diem præfixum solutio facta non fuerit; haud obstante, quod postea solutio offeratur: quoniam semper verum est dicere, quod ante dictas calendas solutio facta non fuerit. Sitamen pars altera post lapsum illius termini solutionem oblatam acceperit, ulterius pœnam petere non poterit: quia sponte solutionem illam acceptando, censetur juri suo renuntiasse. Textus, Glossa, Bartolus, et doctores in l. *Celsus ait*, ff. h. t.

94. *Cessante tamen justo impedimento.* — Additur notanter, « cessante justo impedimento. » Quia si vel per creditorem stet, vel adversa valetudine, aut alia justa ex causa quis impediatur, quominus intra tempus præfixum solvat, pœnam non committit; dummodo postea, quamprimum poterit, solvat, d. l. *Celsus ait*. § *Idem ait* et l. *Arbiter calendis*, ff. eod. Quod si vero etiam postea non solvat, pœnam incurrit: duo enim talis arbitri præcepta esse noscuntur; unum, quod solvat; alterum, quod intra calendas solvat. Licet ergo condemnatus pœnam non committat ex eo, quod intra calendas non solverit, quoniam per eum non stetit; tamen ex altera parte committit pœnam, eo quod non solverit; sicque posterior mora nocet eidem, d. § *Idem ait*, juncta Glossa, et Bartolo ibidem cum aliis.

95. *Quid, si certum tempus ab arbitro non fuerit præfixum?* — Resp. II. Quod si vero solutioni per arbitrum indictæ certa dies præfixa non fuerit, tunc pro ea præstanda conceditur modicum tempus, et arbitrio boni viri, sive judicis taxandum. Textus, et Glossa in l. *Si cum dies*, § fin. ff. h. t. Concordat textus in l. *Quod dicimus*, ff. de *Solutionib.* ubi dicitur, quod ly « debere statim solvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum est: nec enim cum sacco adire debet. » Et tale temperamentum, sive modicum tempus, in actione reali, censetur esse spatium decem dierum; ut l. *Promissor*. § *Si sine die*. ff. de *Constitutâ pecunia*: in actione personali autem, spatium quatuor mensium, c. *Quærenti*. 36. de *Offic. delegat.* ubi Glossa. §. *Quadrimestre*, plura de hoc.

§ V.

REMEDII CONTRA INJUSTUM LAUDUM COMPETENTIBUS, AC CESSATIONE POTESTATIS ARBITRORUM.

96. *Contra injustum laudum nonnulla competunt remedia juris.* — Quæritur I. Utrum contra injustum laudum arbitri aliquod juris remedium competat. Resp. Competere. Nam, præterquam, quod a sententia arbitri juris, sive necessarii, appellare liceat (etsi secus sit in arbitro voluntario, seu compromissario, ut dictum supra § 1. n. 17,) etiam contra hujus sententiam, dum vel notoria est ejus injustitia, vel nimium gravis ac enormis inde læsio inducitur, nonnulla competunt remedia juris. In quibus proinde casibus fallit il-

lud, quod in l. *Diem proferre*. § *Stari* ff. h. t. habetur; videlicet, quod sententiæ arbitri stari debeat, « sive æqua, sive iniqua sit. »

97. *Quando laudum continet manifestam iniquitatem, vel est ipso jure nullum, vel officio judicis retractandum.* — Primo enim, quando laudum continet manifestam, ac evidentem iniquitatem, tunc vel ipso jure est nullum, si videlicet inducit peccatum per partes non remissibile, v. g. simoniam, usuram, aut hujusmodi; ut c. *Non sine*. 2. juncta Glossa. §. *Quinque marchas*, et doctoribus ibid. h. t. Vel saltem, ubi continet peccatum per partes remissibile, v. g. inferens præjudicium pecuniarum, notorium tamen, ex officio judicis retractari debet. Abbas in cit. c. *Non sine*, n. 14. post Glossam can. *A judicibus*, 2 q. 6, et Hostiensem, qui addit, quod arbitrium eo ipso, quod enormiter lædit partem, contineat peccatum. Concordat archidiaconus in cit. c. *A judicibus*. n. 4. id probans ex c. *Exposita*. 11, h. t. et c. *Causam quæ*. 8. de *Electione*. Fulgosius, consil. 180. § *Manet itaque*, citans insuper Bernardum, Joan. Andream, et alios, etiam in foro civili id esse servandum firmantes; dummodo intra decem dies reclametur.

98. *Contra illud competit exceptio doli.* — Secundo contra injustum arbitrium, seu laudum, competit exceptio doli: ut si quis arbitrum pecunia corruperit, vel adversarium callide circumvenerit, et hujusmodi, l. *Ita demum*. ff. h. t. Vel, si arbiter efficiatur inimicus partis: quia etiam tunc contra petitionem pœnæ obstat exceptio doli, l. *Non distinguemus*. § *Cum quidam*. ff. eod. Idem dicendum, quando per sordes, vel per gratiam, arbitratum fuit, l. *Arbitrorum*. 3. C. h. t. et Glossa in c. *Non sine*. §. *Faventes* h. t. Idemque procedit, quando iniquitas arbitrii est notoria et manifesta, ac nihilominus pars altera petit executionem ipsius: repellitur enim exceptione doli, per jura allegata. Nam petens executionem arbitrii notorie dolosi, hoc ipso dolum facere præsumitur, arg. cap. II. de *Præsumptionib.* Abbas in d. c. *Non sine*, n. 14, h. t.; Engel, eod. n. 7; Maranta part. VI. *Speculi aurei*. § de *Appellatione*. n. 266. addens, quod talis exceptio doli, oriens ex manifesta iniquitate, impediatur executionem laudi etiam post decem dies.

99. *III. Si quis per laudum læsus est ultra dimidium justî pretii, potest intentare remedium, l. II. de Rescindend. vendit.* — Tertio, si compromittens per arbitrium, sive laudum

ab arbitro pronuntiatum, læsus fuit ultra dimidium justii pretii, potest is intentare remedium, L. 2. C. de Rescind. vendition.; Maranta in cit. Speculo aureo, part. IV. distinct. 14, n. 8, post Philipp. Decium, concil. 60, ubi arguit de compromisso ad transactionem; Pirhing h. t. n. 97, citans plures alios.

100. *Potestas arbitratorum finitur per pronuntiationem sententiæ, sive laudi.* — Quæritur II. Quibus modis finiatur compromissum, ac potestas arbitratorum? Resp. I. Compromissum, ac potestas arbitratorum, finitur imprimis per pronuntiationem sententiæ, sive laudi super tota causa compromisso comprehensa prolata. Textus est in l. Dicere autem. (alias, Qualem autem.) ff. h. t. juncta Glossa, §. A tota, et communi doctorum.

101. *Arbiter non potest exequi suam sententiam, neque hanc immutare, si fuit diffinitiva: secus, si interlocutoria.* — Unde, quando semel arbiter de tota controversia pronuntiavit damnando, vel absolvendo, non potest suam sententiam exequi, sed debet ejus executionem relinquere judici ordinario rei, l. Cum antea. C. h. t. estque dictum supra § 1, n. 25. Neque amplius valet sententiam suam immutare, c. Exposita. 11, h. t. Adeo, ut nec eam corrigere possit, quamvis erraverit, cit. l. Dicere autem: et l. Quia arbiter. ff. eod. ubi et hujus ratio redditur, quia jam functus est officio suo, sicque arbiter esse desivit. Quamquam ibidem hoc ipsum recte explicatur de sententia diffinitiva arbitri, qua condemnat, vel absolvit, quia sententiam interlocutoriam bene potest mutare; ut puta, si jusserit litigatores calendis adesse, potest hunc diem mutare jubendo, ut adsint idibus.

102. *Si compromissum habeat plures articulos, et arbiter super uno articulo pronuntiaverit, an hanc sententiam postea mutare valeat?* — Additur notanter in conclusione, «super tota causa.» Nam si compromissum habeat plures articulos, sive controversias, est distinguendum, quomodo illud factum fuerit. Si enim compromittebatur, ut arbiter de omnibus simul pronuntiaret, sententia super uno articulo lata non tenet, cum non sit servata forma compromissi, sicque ea potest mutari. Quod si autem compromittebatur, ut de singulis separatim posset pronuntiare, tunc censentur plura esse compromissa; et dicta sententia super uno articulo, ea amplius mutari non potest; quia (quantum ad illam controversiam) desiit esse arbiter. Textus est in l. Quid tamen, § 1. ff. h. t.

103. *Arbitrorum potestas finitur tum morte ipsorum.* — Resp. II. Finitur etiam officium ac potestas arbitratorum, tum morte ipsorum; vel, si plures fuerint, alicujus ipsorum, nisi secus in compromisso actum fuerit, tum morte alterius compromittentium. Ita communis. Et quidem quod morte arbitratorum, vel alicujus ipsorum expiret, textus est in c. Uno delegatorum, 42. de Offic. deleg., ubi dicitur: «Uno delegatorum, vel arbitratorum, rebus humanis exempto, eorum officium expiravit: nisi aliud in delegatione, aut compromisso fuisset expressum:» videlicet, ut uno eorum defuncto, vel impedito, alii procedere possent. Accedit ratio ibidem per Glossam allata: quia in plures arbitros simpliciter datos (hoc est, nisi secus expressum fuerit) censetur compromissum, ut omnes judicent, l. Item si unus. § Item si plures; et l. Si in tres, ff. h. t. Atqui uno eorum mortuo, forma talis compromissi non potest amplius servari; ergo illud evanescit, sicut et potestas arbitratorum superstitum.

104. *Tum morte alterius compromittentium.* — Altera pars, seu quod morte alterius litigantium expiret compromissum, habetur c. Ex parte. 10. h. t. Accedit ratio, quia compromissum non transit ad hæredes, nisi id fuerit expressum, l. Diem proferre. § Si hæredes, ff. h. t. Pendet enim tota vis compromissi ex voluntate compromittentium; hi autem plerumque compromittunt in arbitros ex singulari amicitia et fiducia, quam erga ipsos habent. Quia igitur in hæredibus, veluti minus notis, hæc ratio deficit, merito jura censuerunt, compromissum morte alterius compromittentium (nisi secus sit expressum) expirare; sicque causam via ordinaria per judices esse expediendam.

105. *Ac lapsu termini in compromisso expressi, nisi diem protulerit.* — Resp. III. Compromissum, et potestas arbitratorum, expirat etiam lapsu termini, seu diei in compromisso expressi. Patet hoc ex l. Si cum dies, § 1. ff. h. t. Ubi tamen hoc limitatur, dummodo nihil in compromisso de die proferenda cautum fuerit: nam si de hoc antea cavebatur, ac ipse arbiter ante finitum prius tempus diem protulit, mansit arbiter; sicque potestas ejus non expiravit; prout ibidem habetur, juncta Glossa §. Protulit.

106. *Compromissum finitur recusatione arbitri suspecti.* — Resp. IV. Finitur etiam compromissum recusatione arbitri suspecti;

ut l. Sed et si in servum. § fin. et l. Non distinguemus. § Cum quidam. ff. h. t.

107. *Sicut et interitu rei, de qua compromittebatur. Limitatur tamen hoc.* — Expirat etiam compromissum, et potestas arbitratorum, interitu rei, de qua compromittebatur, et arbitrium ferendum esset, d. l. Non distinguemus, § Item non est. ff. h. t. Ubi tamen hoc ipsum limitatur, nisi in tali casu aliquid litigantium intersit, ut puta, propter fructus et partus, prout explicat Glossa ibidem: quia non obstante interitu rei principalis, saltem de his arbitri pronuntiare potest.

108. *Aliis tribus modis expirat potestas arbitratorum.* — Resp. V. Aliis tribus, atque in cit. l. Non distinguemus. § Summa rei. ff. h. t. enumeratis modis, solvitur compromissum, sicque expirat potestas arbitratorum: scilicet acceptilatione, iudicio et pacto. Et quidem

109, 110, 111. *Acceptilatione, iudicio et pacto.* — «Acceptilatione» finitur compromissum, et potestas arbitratorum, quando uni compromittentium accepto lata est pœna compromissi:

quia et alteri videtur accepto lata, l. Pomponius; ff. h. t. juncta Glossa un. ibid.

«Iudicio» autem cessat compromissum et potestas arbitratorum, quando unus compromittentium ab arbitris recessit, et coram ordinario iudice rem, de qua compromissum erat, in iudicium deduxit. Etsi enim talis contra compromissum agat, sicque incidat in pœnam compromisso appositam; nihilominus postmodum causa coram ordinario iudice prosequenda est, sicque finitur potestas arbitri. Textus est in l. Si quis rem. ff. h. t.

«Pacto» tandem solvitur compromissum, atque cessat potestas arbitri, quando inter partes compromittentes super negotio principali, de quo compromissum fuerat, postea transactum est, cit. l. Non distinguemus. § Item non est, ff. eod. Vel quando partes inter se conveniunt, ut a compromisso recedatur: quia enim mutuo compromittentium consensu fit compromissum in arbitros, ita eodem etiam dissolvitur, cap. i. de Reg. juris. (ADNOTATIO XXI.)

Atque hæc in primum librum *Decretalium* dicta sufficiant, cedantque ad laudem perennem Omnipotentis Dei, omnis justitiæ fontis et originis.